



xii, b2 L

5, 787



# EXEQVIAE

CHRISTOPHORO PFLVGIO,  
IN MAVSITZ, &c. ELECTORALI  
IN VRBE QVEDLINBURGA  
PRAESIDI,

VIRO LONGE NOBILISS. ET FORTISS. VIII. FEBRVARII  
DIE HVIVS XIC. ANNI  
PIE DEFVNCTO  
HABITAE.

A V C T O R E

*M. Tobia Sculteto Ostiensi.*



IMPRESSAE LIPSIAE, TYPIS  
ABRAHANI LAMBERGI.

*Anno*

---

M. D. LXXXIX.

PRIMARIA GENERIS NOBILITATE, OMNIV Mq; VIRTUTVM LAUDE  
florentiss. viro I OHANNI LÖSER, IN PRETZSCH, &c.  
Hæreditario Saxonici Electoris Mareschallo, Dn.  
& Patrono suo plurimum colendo,  
S. & F. P.



Vod ipse per me nunquam ausus  
fuissim, Nobiliss. Vir, vt Magnif. Tuam meis  
onerarem scriptionibus; id petitioni & flagita-  
tioni aliorum, quibus negare non potui, obse-  
cutus, facere tandem constitui. Cum enim no-  
biliss. adolescentes, in studijs Sapientiae & Elo-  
quentiae cum laude versantes ANDREAS & C HRISTO-  
PHORVS PFLVGII FF. Nobiliss. Magnif. tuæ clientes &  
agnati cariss. Discipuli autem mei dilectiss. pro ea, qua er-  
ga defunctum Patruum, C HRISTOPHORVM PFLVGIVM  
(cognatum & amicum LÖSERÆ familiæ singularem) affecti  
sunt pietate, carmen quoddam à me non omnino in hoc scri-  
bendi genere inexercitato in obitum Patrui rogarent: Ego  
Musarum munus præcipuum esse ratus, vt, post D E V M præpo-  
tentem, clariss. virorum laudes celebrent, non sine aliqua ani-  
mi alacritate, ad id, quod rogatus eram, accessi. Cumq; confe-  
stū iam illis & legendum & iudicandum proponerem; omni-  
nò voluerunt, vt typis euulgatum Tuæ Nobiliss. Magnif. con-  
secraretur, cum propter singularem Magnif. Tuæ in defunctum  
amorem, tum verò ad testificandam aliquam suæ erga M. T.  
optimè rebus eorum pròspicientem obseruantia signifi-  
cationem. Accipiet igitur Nobilis. Magnif. Tua hoc, qualecunque  
etiam carmen non quidem à me, qui fortasse ignotus sum; sed  
à suis clientibus: atque ita accipiet, vt & rebus & studijs ipso-  
rum, quemadmodum facit, consulere; Musasque meas atque  
adeò meipsum quoque in tutelam suam recipere non graue-  
tur. Lipsiæ, M. Martio, Anno 1510. Cl. I. c. x i c.

Nobiliss. Magnif. T. Obseruantiss.

M. Tobias Scultetus Obitiensis.

## OPHNOΣ.

**H**OC erat; hoc lapsus tibi portendebat inquis,  
Lapsus, in ipsum Equitem dum cadit acer Equus:  
Hoc erat, oppressi quod nocte repente Caballi  
Semianimes stabulo procubuere suo:  
Hoc erat, in somnis quod tot portenta viderent  
Et soror, & fratrī pignora caratui.  
Heu rata signa nimis! dum tu fortissime PFLVG I  
Funere perturbas gaudia nostra tuo.  
Et tantum licuisse neci! tot lumina gentis  
PFLVGE AE fatis oppetiisse citis!  
Iusta queror; Frater melioribus integer annis  
Ereptus celeri morte reliquit humum,  
Ille sui generis CAE.S AR tutamen, & idem  
Principibus gratus Pieridumq; choro:  
Occubuere alij plures, vel nomen habentes  
Gentis idem; vel quos sanguine iunxit amor:  
Sicq; ferè nunquam duo per quinquennia vitæ  
Qui comes est luctus, desuit esse color.  
Ponendæ fuerant pullo velamine vestes;  
Morte noua lacrumas sensimus ecce nouas.  
O vitæ florem! nimium leuis ille breuisq;  
Sole manente manet, Sole cadente cadit.  
Flete, pijs generis quotquot superestis amici;  
Flete; solet fletu mitior esse Dolor.  
Vos tamen in primis vestrae duo germina stirpis  
ANDREA, & Patrui nomine dicte tui,  
Quiq; genus PFLVGIVM materno sanguine tangis  
EBLEBI, Pfugis & comes esse soles,  
Vos lugere decet Patrui miserabile vestri  
Funus, & hic siccias non habuisse genas.  
Et quia vos Clariae carmen docuere sorores,  
Carminibus manes condecorare pijs:

Carminibus decorate pijs; quis carmina spernat?  
Illa vetant etiam funere mersa mori.  
Dicite flebilis numeris, quos mæstus E L I S T E R  
Audiat, & Nymphæ, turbide P L I S S A, tua.  
Ille quidem dudum cœlesti sede receptus  
Angelis audit carmina lata sonis:  
At tumulo Pietas tamen hæc gratissima vestra,  
Hoc meruere diu tot benefacta Viri.  
Nam quod erat Genitor vobis, dum vita manebat;  
Post obitus Patris Patruus illud erat.  
Sumite lugubres, feralia munera, vestes;  
Sumite; F L O S generis concidit ille sui.  
Si, quoties magnos homines & pectore & armis  
Mors adit, & falcam retrahat illa suam;  
Si, quoties magnis magnos Virtutibus audit  
Atropos, abstineat fila secare colis:  
Ille quidem nunquam mortis cecidisset ab ictu;  
Tantus magnanimi pectoris ardor erat:  
Sensi set nunquam vita sibi stamina rumpi;  
Tanta erat insignicum Pietate fides.  
Sumite lugubres, feralia munera, Vestes;  
Sumite; F L O S generis concidit ille sui.  
Vix tria lustra puer quondam generosus agebat,  
Continuog̃ animos vix capit ipse suos.  
Et secum: méne in Patrijs torpescere terris?  
Nec posse ignotas fortiter ire vias?  
Ociasint alijs, patria latitare sub umbra  
Quos iuuat accensos turpiter ante focos:  
Me mea Nobilitas alias deducat in oras,  
Separat à nostris quas maris unda plagis.  
Me labor Herous peregrino exerceat hoste;  
Eripiant somnos classica pulsa mihi;  
Hæc mihi contingent: Genitrix dilecta, Parenſg̃  
Optime, & agnati, quiq̃ valete mihi.

Sic

Sic ait, ostētans animos humerosq; valentes:  
Et iam magnanimi terga premebat Equi.  
Mirantur iuuenem taciti; mirantur & annos;  
Vtq; secundentur numine cœpta, rogant.  
Continuò subiit Pomerani Principis aulam:  
Dux videt, &, lateri sis comes ipse, refert.  
Nec mora, militiae sequitur Dux ipse labores;  
Cum Duce militiam, laetus & ille subit.  
Dumq; rudimentum ritusq; addiscit Equeſtres,  
Plurima, Nobilibus vix patienda, tulit.  
Vicit amor belli, Martisq; immensa cupido,  
Quæ PFLVGIVM genti propria semper erat.  
Mox animis annisq; suis, & viribus auctus  
Sponte sua bellum, Marte fauente, petit.  
Quis mihi nunc referat non parua pericula vitæ  
Quæ subiit, Martis dum graue ferret onus?  
Siue sub excubijs Nox euigilanda veniret,  
Hostis ubi muros obsidione premit:  
Siue tubas inter campo stetit agmen aperto  
Aduersas gaudens appropereare Manus;  
Et iam sulphureis volat ignibus area moles,  
Perq; Equitum turmas, per cuneosq; ruit.  
Disultat cœlum fremitu; iacet ordine nullo  
Strata acies; fusō terra cruento madet.  
Vidit, ut insurgat clavis & Acinace TVRCA  
Cum fugere citas spicula dira manus.  
Vidit, ut irrumpat primo impete fortis IBERVS,  
Sed mox deficiat robore lassus Eques:  
Vidit, ut ancipiti Muri ad fastigia gressu  
Exuperet Latio milite lecta manus:  
Vidit, ut insidijs melior sit GALLVS; at omnes  
Expecter forti pectore TEVTOnices:  
Vidit, ut ingentes Neptunia cœrula classes  
Perrumpant armis militibusq; graues:

Quas ubi conspicias, urbes aut cycladas omnes  
Nare putas vasto per vada salsa mari:  
Tanto adeò Malis tant vertice; tantus & ordo  
Remorum; resonant Carbasatanta noto:  
Quæ simul aduersis miscent fera prælia rostris,  
Neptunus regnis vix cauet ipse suis.  
Quid visas referam visiscum ciuibus urbes?  
Quid loca seculo vix adeunda pede?  
Viderat hic, aignum quicquid vel Bætis habebat;  
Quicquid habet Tybris; Sequana quicquid habet.  
Quicquid habet Rhenus; quicquid Mosa; quicquid & Albis;  
Quicquid habet Sauus; quicquid & Ister habet.  
Venerat in Patriam: iuuenem mirantur amantq;  
Quiq; viri prisca Nobilitate sati:  
Ensifer AVGVSTVS fauet ipse; fauetq; Parentis  
Post obitus, qui iam tradita sceptrate net.  
Ille præesse iubet cultæ Saxonidos urbi;  
Ille Dux bellum munus obire iubet.  
Norat enim quantum Mauortis posset in armis;  
Intrepidi norat pectoris esse Virum.  
Vix illo belli quisquam felicius artes  
Calluit, & varias per varia arma vices:  
Siue manus cogenda foret; cogebat: habendi  
Delectus; habuit: Lipsia testis erit.  
Norat, Equo melius qui nam pugnaret ab alto;  
Qui melius rueret, norat, in arma pedes:  
Quis iaculo incedat melior; meliorq; Sarissa;  
Quis melius quatiat grande bipennis onus:  
Quis melius gestet ferratae cuspidis hastas;  
Quisue cauo melius fulguret ære globos.  
Sin iam per lectas rutilent vagi signa cohortes,  
Iamq; habeat vultus Hostis in hoste suos;  
Non erat egregie faciem componere pugna  
Continuò varijs pro ratione loci:

Vel cu-

*Vel cunei in morem procedat ut agmen in hostes;  
Vel stet quadrifida fronte videnda phalanx:  
Vel dupli stet Marte cohors ad virumq; parata,  
Dextera siue hostem, siue sinistra ferat:  
Ad latus accedant signis victricibus Alæ;  
Promineant forti Cornua bina manu:  
Frons habeat solidum robur; stent ultima firmis  
Subsidij; Medio vilius agmen eat:  
Eminus ut iaculis canisq; sonantibus Hostis  
Pulsandus primum; cominus Ense fero.  
Sin magis in castris miles retinendus apertis  
Hostiliq; acies obsidione fremat;  
Ut statio captanda suis: quâ terra liquores  
Erumpit; quâ vis muniat ipsa loci;  
Quaq; suis aditus facilis sit, & arduus hosti:  
Quo vallum; quo sit Fossa paranda modo:  
Ut subducendi fontes; quæ Machina muros  
Subruat occultis insidiosa locis:  
Vtq; nec Arietibus, iuncta aut Testudine turres  
Amplius, aut pluteis mænia quassa ruant;  
Sed ducibus priscis ignota Tonitrua muros  
Prosternant rupes eiacula graues.  
Hæc & plura viro fuerant notissima tanto,  
Quem nunc ereptum funere terra tegit.  
Sumite lugubres, feralia munera, vestes;  
Sumite; FL O S generis concidit ille sui.  
Nec tamen ille, armis quanquam Mauortius Heros,  
Dum non bella, ferox aut metuendus erat.  
Non cadit in stirpem feritas inamabilis illam,  
Quam decorat vera strenuitate Fides.  
Relligionis amor vera; veraq; cupido  
Iusticie sedes hic habuere suas:  
Fraus aberat; per iura leuis nendacia lingua  
Oderat, ut Stygio morstra profecta lacu:*

*Cumq;*

Cumqupotens opibus magnisquvigeret amicis,  
Nullus in oculo pectore fastus erat:  
Munificum sensere sui; sensere rogantes  
Quilibet auxilium praeviduumqusibi.  
Quid tamen ista iuuant? parcissima parcere Parca  
Dum nequit, & vita currere fila vetat.  
Sumite lugubres, feralia munera, vestes;  
Sumite; FLOS generis concidit ille sui.  
Qui neque Patritos cuiquam cedebat ob ortus;  
Nulli Materna nobilitate minor;  
Quis genus antiquum PFLVGIAE A stirpe profectum  
Nesciat? in numeros protulit illud auos.  
† Quis PFLVGIO S de stirpe Ducum non crederet ortos?  
Efficiunt certam plurima signa fidem.  
Dux erat antiqui CROCCV M dixere Boëmi,  
Quisquis es, historias consule, certus eris:  
Ille cadit linquens gentilia sceptrum LIBVSS AE,  
Illa patris CROCCI regia Nata fuit.  
Ferre diu nequeunt muliebria sceptrum Boëmi  
Magnates, regnis insidiosi cohors:  
Et nisi coniugijs, aiunt, latabere nostris;  
Nos ipsos cernes bella mouere tibi.  
Quid faciat? sola est: inuenit callida tandem  
Qua cupidos posset fallere fraude viros.  
Scitis, ait, superesse mihi, qui pondera dorso  
Nulla, nisi Patris, suscipiebat, Equum:  
Hic mihi signa dabit; Phaleris instructus & ostro  
In medium vestri proruat ille mihi:  
Cui primum assistet, coniux meus ille vocetur;  
Hic mihi ceu dio numine missus erit.  
Dicta placent: firmata fides: proditur in agros:  
Ordine stant longo: proruit acer Equis.  
Vomere ruris amans terram scindebat Arator;  
Extimulat tardos arida virga boxes:

† Videli. I. &  
2. historiæ Bo  
emicæ libris  
33. à Iohan.  
Episc. Olom.  
descriptæ cer  
tiss. autē est;  
hanc stirpem  
primo quidē  
à Principibus  
oriundā, sed  
postea in plu  
res Ramos di  
uisam in Mis  
niam & Baua  
riam ex Boë  
mia venisse,  
magnique; no  
minis emper  
fuisse, & à Ger  
manis ab insi  
gnib. quæ ge  
stabat, & etiā  
nū gestat, die  
psūge cognō  
minatā. Vide  
etiā Cromeri  
Poloniā lib. I  
& Aeneæ Syl  
uij Boëmiā, i  
tēque; Vvencei  
Hagecium, &  
Pantaleonis  
Bohemaida  
lib. I.

Irruit.

Irruit huc; solumqz, petit; soliqz, moratus  
Assistit; taciti stantqz, silentqz, viri.  
Femina cum Satrapis sequitur; nouitateqz, rerum  
Gaudet, & hunc credit cœlitus esse datum.  
Itur ad Agricolam; narratur caussa; stupescit  
Ille; prius sicca haec Virga virebit, ait.  
Sic referens, iecit Virgam: reuirescere iacta  
Incipit, & ternis fronde vigere locis.  
Iamqz, volente Deo, coniux Ducis ille maritæ  
Redditus, ut natis res quoqz, nota foret,  
VOMERIBVS, VIRGAqz, locis reuirescere ternis  
Quæ solet, exornat res clypeosqz, suos:  
Adiicit & gemmis Diadema auroqz, decorum,  
Infima cum summis ut sociata forent.  
Quid mirum? potuisse humiles extollere Numen;  
Nonne legis Figulo de genitore Ducem?  
Hinc genus innumerâ scaturigine fluxit auorum:  
Annales, aliquos qui cupit, ille legat.  
Ad propiora vocor; nec nomina prisca referre  
Est animus: PFLVGIIIS sunt ea nota satis.  
Te tamen haud ausim numero properante silere  
NICOLE E; stirpis gloria magnitudine,  
FERREVS es meritò propter generosa vocatus  
Facta, feri Martis tempore gestatibi.  
Nec te, CAESAR, E QVE S gemmata torque refulgens  
CHRISTOPHORI, quem iam mors fera mersit, Aius.  
Hinc pater ANDREAS, Fribergæ Praeses in urbe  
Nobilibus gratus Principibusqz, viris:  
Hinc ita CHRISTOPHORVS, quē iam ploramus adem-  
Et CAESAR, fato raptus & ille citò: (tum,  
Quem neque munifico superauit pectore quisquam,  
Nec potuit studijs æquiparare suis;  
Qui neque frondentes petijt sua gaudia, sylvas,  
Quin Libri comites unus & alter erant.

Fata vetant superesse diu : sed mortuus ille  
Viuis adhuc Natis cernitur esse TRIBVS.  
Sumite lugubres, feralia munera, vestes ;  
Sumite, FLO S generis concidit ille sui.  
Patria Nobilitas dicta est : sed Matri origo  
De LÖ SERI ADV M stirpe profecta venit.  
Quod genus hoc ? Doctæ flexa ceruice Camæna  
Surgite ; LÖ SERIS tantus habendus honor.  
Quò non venisti stirps incluta ? quis tua nescit  
ACAPRE AE CAMPIS nomina dicta prius ?  
Sed quia diuitijs proprijs sumtuq; paterno  
Fecisti Domini LIBERA collatui ;  
Clara REDEMOTORVM tibi nomina parta tulerunt  
Prisca ; licet monstrat talia stemma tuum.  
Nonne tua de gente fuit, qui totius orbis  
Mensur erat, duo per lustramoratus, iter ?  
Quem fertur geminos tacitè comitata per annos  
Femina, nifallor, SORS erat illa bona.  
Nonne tua de gente sati Saxonidos oræ  
Heredes præsunt Signiferi, DVCIS ?  
Nonne tua de gente satus, qui floret in aula  
CHRISTIANI, meritis maximus ille suis  
IANVS, Apollineæ decus & tutela caterua,  
Nec minus & clarum Marte togaq; caput.  
Quò feror ? immensum est dicendas dicere laudes:  
Retrahe nutantem Calliopea ratem.  
Sumite lugubres, feralia munera, vestes ;  
Sumite ; FLO S generis concidit ille sui.  
Bellica quò Virtus abiit ? quóue illa Togata ?  
Mors fera puluereo clausit vtramq; solo :  
Nobilitas ubi nunc Genitricis ? ubi illa Parentis ?  
Mors fera puluereo clausit vtramq; solo.  
Sumite lugubres, feralia munera, vestes ;  
Sumite ; FLO S generis concidit ille sui.

Cernite

Cernite quām miserè vicens undiq; pagis  
Conueniat nuper subdita turba viro !  
Tristes, & turbatis passibus incedentes  
Ut plorant hunc lamentis ono gemitu !  
Ut lacrumas oculis tergunt ! ut murmure tristi  
Exululant, Dominus noster ubi, heu, ubi, ubi est ?  
Sumite lugubres, feralia munera, vestes ;  
Sumite; FLO S generis concidit ille sui.  
Cernite, Nobilium quos dicam iure columnas,  
Quām spectant madidis funera mæsta genis !  
Insignes INSIDE LI; CANN AEg; propago;  
Et SCHÖNBERG IAC AE nomina magna domus.  
Innumeriq; alij, Myrias pleriq; per oras  
Qui rutilant, medio Phœbus ut ipse polo.  
Sumite lugubres, feralia munera, vestes ;  
Sumite; FLO S generis concidit ille sui.  
Quem necis accusem ? quam mortis dicere causam  
Par erit ? an Circes grama cocta manu ?  
Ante noctiuago grassantem Cynthia cursu ?  
Et certè in culpa crederis esse mihi.  
Cur etenim diuersa fugis ? cur nulla videris ?  
Nimirum facti conscientia, sola lates.  
Quid si causa foret, cœlo quod visa sub alto  
Illa venenati Cauda Draconis erat ?  
Quodq; viam medias per Atlantidas aethere dudum  
Falciferi carpat pessima forma Senis ?  
Tutamen in primis octauo Februos ortu  
Ater & infelix semper habendus eris :  
Pessimus es fratum ; te nil nisi frigus & imber  
Diligit ; informes te genuere Niues ;  
Inuisus brutis ; hominiq; inuisus ; & ipsi  
Aligerūm generi squamigerūm q; choros ;  
Tempora tu Veris cupidum redeuntis in orbem  
Non sinis optatas ducere posse moras ;

Et, quod habet crimen, solus deuotus es imis  
Manibus; heu sceleris nomina magna tui!  
Sed quid ago? nil astra mihi, nil tempora peccant:  
Ipse D E V S fati causa caputq; fuit.  
Ille voluntatis propria liberrima iura  
Obtinet; hoc ipsi sic placuisse scio.  
Ille catenatis hunc nexibus esse solutum  
Herōem voluit nec superesse diu.  
Si quā vis morbi sanabilis arte fuisset,  
Sat scio, G VAL T E R V S tolleret arte meus.  
Ponite lugubres, feralia munera, vestes;  
Ponite, F L O S generis mox reuirescet humo.  
Ipse quidem mentesq; sacras animasq; piorum  
Lustrat, & hic Patrem spectat auosq; suos;  
In medioq; choro Superūm dulcissima verba  
Audit, & athereis carmina iuncta modis.  
At vos in terris tumulo superaddite carmen,  
Et date Vere nouo lilia mixta rosis;  
Cumq; datis, Patrui memores hac dicite verba:  
Hic Patrui recubent molliter ossa mei.  
Ponite Lugubres, feralia munera, vestes;  
Ponite; F L O S generis mox reuirescet humo.

M. Tobias Scultetus.

MEMORIAE SEMPITERNAE  
CHRISTOPHORI PFLVGII,  
ANDREÆ F. IN MAVSITZ,&c. ELECTORALIS  
IN VRBE QVEDLINBURGA  
PRAESIDIIS,

VIRI INTER FORTES NOBILISS. ET INTER  
NOBILES FORTISS.

QVI

RELIGIOSAE PIETATIS, INTEGRITATIS,  
HONESTATISQUE OMNIS BELLI  
PACISQUE TEMPORIBVS DV  
VIXIT STVDIOSISS.

IN IPSO VIRILIS AETATIS FLORE  
ANNVM XL. VIX INGRESSVS, IIX. FEB.  
DIE, ANNO XIC. SVPRACIO. IO. REB.  
HUMANIS EXEMTVS

MAGNVM SVI DESIDERIVM DOMESTICIS,  
AMICIS, SVBDITIS, ATQVE ADEO  
OMNIB. BONIS MVLTIS CVM  
LACRVM. RELIQVIT,

EOSDEM FELICISS. ALIQUANDO CVM ELECTIS  
OMNIBVS PER CHRISTVM IN BEATISS.  
ILLA RESVRRECTI ONE  
REVISVRVS.



Quid tumulum speetas oculo rimante Viator?  
Heic cubo CHRISTOPHOR. PFLVGIVS; ista fatis.  
Corpus, Mens, Nomen, subiit, possedit, adiuit,  
Morte, Fide, Famâ, busta, polos. homines.

EPIGRAMMA DE  
FUNERE EIVS DEM.

MISNICA Nobilitas creperi certamina belli  
Dum celebrat, DRES DAM quâ celer Albis adit,  
En medios inter lusus vox perculit aures :  
CHRISTOPHORVM PFLVGIVM deseruisse suos.  
Arma viris animiq; cadunt; stupet Ensifer Heros,  
Succurrit Virtus, Integritasq; viri.  
Ipse Equitum turmas inter peditumq; cateruas  
MARS ut erat, PFLVGII quæsitus ora sui.  
Vtq; necem audiuit; clypeum franeamq; sonantem  
Proijcit, et, Mortem quis mihi sistat ? ait.  
Perdere quem toties timui; Mors improba perdis?  
Cuiq; foris parsi, turapis atra domi ?  
Mars Mortem, Martem Mors increpat; ille reposcit,  
Illa negat; tandem Marte coacta fero  
Quæ me poscis, ait, miror qui poscere possis?  
Dimidium ipsa habeo; dimidium alter habet.

EPI-

EPIGRAMMA  
AD INSIGNIA GENTILI-  
CIA PFLVGIORVM.



Virtutem haud vnam vnius qui cernere gentis  
Expetis; heic vno conspicis intuitu:  
Dum PFLVGIAE spectas oculis insignia stirpis,  
VNA quae habet, quod habent vix aliæ innumeræ.  
Fata; bonaç vices fortis; Geniumç secundum;  
Divitias; Pacis Militiæç decus;  
Antiquos ortus; excellens nomen Aitorum;  
Ingeniumç sagax; Intrepidosç animos.  
Principium generis VOMER Nomenç patritum  
Denotat; ex humili venit in alta loco:  
VIRGA locis fruticans tribus, Incrementa vetustæ  
Stirpis ab egregijs quæ venit orta viris:  
CASSIS aperta decus Martis; CRISTAEç decorem  
Nobilium; Gentis fulua CORONA ducem.  
CHRISTE, genus languens iam nunc, dum vomere terra  
Scindetur, vegeta fronde virere sine.


*M. Tob. Scultetus.*



U  
Vc 34/5

ULB Halle  
003 483 487

3




5b.

VD 27

KE  
Retro ✓





**Farbkarte #13**

*B.I.G.*

